ceptione placuit summoveri, si non præstet id, quod propter moram ejus damnum passus sit heres.

9. Ulpianus, [lib. 23, ad Sabinum].

Si quis *vinum* legaverit, omne continetur, quod ex vinea natum vinum permansit. Sed si mulsum sit factum, vini appellatione non continebitur proprie: nisi forte paterfamilias etiam de hoc sensit. Certe zythum, quod in quibusdam provinciis ex tritico, vel [ex] hordeo, vel [ex] pane conficitur, non continebitur. Simili modo nec camum, nec cervesia continebitur, nec hydromeli. Quid conditum? nec hoc puto, nisi alia mens testantis fuit. Œnomeli plane, id est, dulcissimum vinum, continebitur. Et passum, nisi contraria sit mens, continebitur. Defrutum non continebitur, quod potius conditurae loco fuit. Acinaticium plane vino continebitur. Cydoneum et si qua alia sunt quæ non ex vinea fiunt, vini appellatione non continebuntur. Item acetum vini appellatione non continebitur. Hæc omnia ita demum vini nomine non continentur, si[9] modo vini numero a testatore non sunt habita: alioquin Sabinus scribit, omnia vini appellatione contineri; quæ vini numero paterfamilias habuit; igitur et acetum quod vini numero paterfamilias habuit, et zythum, et camum, et cætera quæ pro hominum affectione atque usu vini numero habebuntur. Quod si totum vinum, quod paterfamilias habuit, coacuit, non extinguitur legatum. — § 1. Si acetum quis legaverit: non continebitur legato acetum, quod vini numero testator habuit: embamma autem continebitur: quia aceti numero fuit. — § 2. Item si quis vinum, quod habuit, legavit, deinde [hoc] coacuit: licet postea in aceti locum translatum sit a patrefamilias, vino legato continebitur: quia id quod testamenti facti tempore vinum fuit, demonstratum est; et est hoc verum, nisi[10] voluntas adversetur. — § 3. Vino autem paterno legato, id demum legatum videtur, quod testator vini numero habuit, non quod pater. Item si peculiare vinum legatum sit, id continebitur, quod servi habuerunt. Cur tam diverse? Quod paternum vinum jam cœpit usus ipsius testatoris esse: at peculiare in usu servorum remansit. — § 4. Item si vinum vetus sit legatum.

10. Hermogenianus, [lib. 2 juris Epitomarum].

Ex usu testatoris legatum æstimabitur: id est, quot annorum vino pro vetere utebatur: quod si non appareat.

11. Ulpianus, [lib. 23, ad Sabinum].

Vetus [accipietur], quod non est novum: id est, et anni prioris vinum appellatione veteris continebitur.

12. Paulus, [lib. 4, ad Sabinum].

Nam aliter observantibus, quis finis, aut quod initium veteris vini sumeretur?

13. Ulpianus, [lib. 23, ad Sabinum].

Ex eo vino, quod in illo fundo nascetur, heres meus amphoras decem quotannis in annos singulos dato: quo anno natum non[11] fuisset, ex superiore anno ejus fundi eum numerum amphorarum heredem daturum, Sabinus existimat: quæ sententia, si voluntas non adversetur, mihi quoque placet.

14. Pomponius, [lib. 6, ad Sabinum].

Vino legato, ea demum vasa sequuntur, quæ ita diffusa sunt, ut non ad perpetuum usum [vasa] reservarentur: veluti amphoræ et cadi.

15. Proculus, lib. 2 Epistularum.

Vinum cum vasis legavit: negat Trebatius, quod in doliis sit, deberi: et sensum testatoris alium putat esse; verborum, alium: cæterum dolia in vasis vinariis non essent[12]: ego, etsi dolia in vasis vinariis non sunt, tamen non concederem Trebatio, vinum, quod in doliis esset, id est, quod in vasis non esset, non esse legatum. Illud verum esse puto, cui vinum *cum vasis* legatum erit, ei amphoras, cados, in quibus vina diffusa servamus, legatos esse: vinum enim in amphoras et cados hac mente diffundimus, ut in his sit, donec usus causa *probetur*; et scilicet id vendimus cum his amphoris et cadis: in dolia autem alia mente conjicimus, scilicet ut ex his postea vel in amphoras et cados diffundamus, vel sine ipsis doliis veneat.

16. *Idem*, lib. 3, ex Posterioribus Labeonis.

Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum, is ibi vinum legaverat in amphoris: omne illud quoque vinum, quod in urnalibus fuisset, legatum esse Labeo et Trebatius responderunt. — § 1. Cui *dulcia* legata essent, si nihil aliud testamento significetur: omnia hæc esse legata, mulsum, passum, defrutum, et similes potiones; item uvas, ficos, palmas, caricas. — § 2. Quod si ita esset legatum, *Vinum amphorarium, aminœum, græcum, et dulcia omnia*: nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset, legatum putat Labeo ex collatione vini amphorarii; quod non improbo.

9. L. 1, supr. h. t. — 10. L. 44, § 2, in fin. supr. de legat. 1; L. 55, vers. sic enim responsum est, supr. de legat. 3. — 11. L. 17, in fin. supr. de annuis legat. — 12. *Immo vide* L. 206, infr. de verb. sign.

TIT. VII.

DE INSTRUCTO VEL INSTRUMENTO LEGATO.

1. Paulus, lib. 4, ad Sabinum.

Sive cum instrumento fundus legatus est, sive *instructus*, duo legata intelliguntur. — § 1. Fundo *cum instrumento* legato et alienato[1], instrumentum non vindicabitur ex sententia defuncti.

2. Papinianus, lib. 7 Responsorum.

Cum pater, pluribus filiis heredibus scriptis, duobus *præceptionem bonorum* aviæ præter partes hereditarias dedisset: pro partibus coheredum viriles habituros legatarios placuit. — § 1. Dotes prædiorum, quæ græco vocabulo ἐνθῆκαι appellantur, cum non instructa legantur, legatario non præstantur.

3. *Idem*, lib. 8 Responsorum.

Fundum instructum libertis patronus testamento legavit: postea codicillis petit, *ut morientes partes suas fundi superstitibus restituerent*; nec *instructi* mentionem habuit. Talem in causam fideicommissi deductum videri placuit, qualis fuerat legatus: sed medii temporis augmenta fœtuum et partuum, item detrimenta fatalium, fideicommisso contineri. — § 1. Minor viginti annis, *instructa prædia* consobrinæ suæ dari voluit, et quosdam servos prædiorum vivus manumisit: non idcirco servi manumissi præstabuntur, quod ad libertatem pervenire non possunt. Idem juris est, cum ex quavis alia causa libertas non competit.

4. Javolenus, [lib. 2, ex Posterioribus Labeonis].

Cum quidam duos fundos junctos haberet, et ex altero boves, cum opus fecissent, in alterum reverterentur, utrumque fundum *cum instrumento* legaverat: Labeo, Trebatius, boves ei[2] fundo cessuros putant, ubi opus fecissent, non ubi manere consuevissent: Cascellius contra: Labeonis sententiam probo.

5. Labeo, lib. 1 Pithanon a Paulo epitomatorum.

Si cui fundum et instrumentum ejus legare vis, nihil interest, quomodo leges: *Fundum cum instrumento*, an *Fundum et instrumentum* [an *Fundum instructum*]. Paulus: imo contra[3]: nam inter ea legata hoc interest, quod si fundo alienato[4] mortuus fuerit, qui ita legavit, ex hac scriptura, *Fundum cum instrumento*, nihil erit legatum: ex cæteris[5] poterit instrumentum esse legatum.

6. Scævola, [lib. 16 Digestorum].

Nepoti legaverat, quæ certa regione prædia habuerat, ut instructa sunt, cum vino, grano, calendario: et adjecerat hæc verba, *Quidquid erit, cum moriar, in illa regione, et quidquid in quacunque specie erit in illa regione, vel quod meum erit*: viva testatrice unus ex debitoribus condemnatus, vivente testatrice satis non fecit. Quæsitum est, an quod ex sententia judicis deberetur, ad nepotem pertineret? Respondit, nihil proponi, cur non deberetur.

7. *Idem*, [lib. 22 Digestorum].

Tabernam cum cœnaculo Pardulæ manumisso testamento legaverat *cum mercibus et instrumentis, et supellectili, quæ ibi esset: item horreum vinarium cum vino, et vasis, et instrumento, et institoribus, quos secum habere consueverat*. Quæsitum est, [et] cum vivo testatore insula, in qua cœnaculum fuit quod ei legatum erat, exusta sit, et post biennium eodem loco[6] constituta nova; et horreum, quod eidem legatum erat, a testatore venierit[7]; vini autem venditio dilata sit, ut ex eo commodo venirent: an universa legata Pardula consequi possit? Respondit, ea, in quibus voluntas mutata esset, non deberi.

8. Ulpianus, [lib. 20, ad Sabinum].

In instrumento fundi[8] ea esse, quæ fructus quærendi, cogendi, conservandi gratia parata sunt, Sabinus libris ad Vitellium evidenter enumerat. *Quærendi*, veluti homines, qui agrum colunt, et qui eos exer-

Tit. VII. — 1. L. 5, in fin. infr. h. t. — 2. L. 12, § 14, infr. eod.; L. 35, § 3, supr. de hered. instit. — 3. *Immo vide* § 17, in fin. Inst. de legat. — 4. L. 1, in fin. supr. h. t.; d. § 17, in fin. — 5. L. 16, in pr. supr. de usu et habit. — 6. L. 65, in fin. supr. de legat. 1. — 7. L. 11, § 12, supr. de legat. 3. — 8. L. 12, § 2, 3, 4, 5, 27; L. 16, § ult.; L. 20, in fin. infr. h. t. L. 2 C. de verb. sign.

cent, præpositive sunt his; quorum in numero sunt villici, [et] monitores: præterea boves domiti, et pecora, stercorandi causa parata, vasaque utilia culturæ; quæ sunt aratra, ligones, sarculi, falces putatoriæ, bidentes, et si qua similia[9] dici possunt. *Cogendi*, quemadmodum torcularia, corbes, falcesque messoriæ, falces fœnariæ, quali vindemiatorii, exceptoriique, in quibus uvæ comportantur. *Conservandi*[10], quasi dolia, licet defossa non sint, et cupæ. — § 1. Quibusdam in regionibus accedunt instrumento, si villa cultior est, veluti atrienses, scoparii: si etiam viridaria sint, [topiarii]: si fundus saltus pastionesque habet, greges pecorum, pastores, saltuarii[11].

9. Paulus, [lib. 4, ad Sabinum].

De grege ovium ita distinguendum est, ut si ideo comparatus sit, ut ex eo fructus caperetur, non debeatur: si vero ideo, quia non aliter ex saltu fructus percipi poterit, contra erit; quia per greges fructus ex saltu percipiuntur.

10. Ulpianus, [lib. 20, ad Sabinum].

Si reditus[12] [etiam] ex melle constat, alvei apesque continentur.

11. Javolenus, [lib. 2, ex Cassio].

Eadem ratio est in avibus, quæ in insulis maritimis aluntur.

12. Ulpianus, [lib. 20, ad Sabinum].

Quæsitum est, an frumentum[13], quod cibariis cultorum paratum foret, instrumento cederet? Et plurimis non placet: quia consumeretur: quippe instrumentum est apparatus rerum diutius mansurarum, sine quibus exerceri nequiret possessio: accedit eo, quod cibaria victus magis quam colendi causa pararentur. Sed ego *puto*, et frumentum et vinum ad cibaria paratum instrumento contineri: et ita Servium respondisse auditores ejus referunt. Item nonnullis visum est, frumentum, quod serendi[14] causa sepositum est, instrumento contineri: puto, quia et instar culturæ esset; et ita consumitur, ut semper reponeretur: sed causa seminis nihil a cibariis differt. — § 1. *Conservandi* fructus causa: veluti granaria, quia in his fructus custodiuntur, urceos, capsellas, in quibus fructus componuntur, sed et ea, quæ exportandorum fructuum causa parantur, instrumenti esse constat: veluti jumenta, et vehicula, et naves, et cupæ, et culei. — § 2. Alfenus autem, si quosdam ex hominibus aliis legaverit, cæteros, qui in fundo fuerunt, non contineri instrumento ait: quia nihil animalis instrumenti esse opinabatur; quod non est verum: constat enim eos[15], qui agri gratia ibi sunt, instrumento contineri. — § 3. Quæritur, an servus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legato contineatur? Et Labeo et Pegasus, recte negaverunt: quia non pro instrumento in fundo fuerat, etiam si solitus fuerat et familiæ imperare. — § 4. Saltuarium[16] autem Labeo quidem putat eum demum contineri, qui fructuum servandorum gratia paratus sit: eum non, qui finium custodiendorum causa: sed Neratius etiam hunc: et hoc jure utimur, ut omnes saltuarii contineantur. — § 5. Trebatius amplius etiam pistorem[17], et tonsorem[18], qui familiæ rusticæ causa parati sunt, putat contineri; item fabrum, qui villæ reficiendæ causa paratus sit; et mulieres, quæ panem coquant, quæque villam servent; item molitores, si ad usum rusticum parati sunt: item focariam[19], et villicam, si modo aliquo officio virum adjuvet; item lanificas[20], quæ familiam rusticam vestiunt, et quæ pulmentaria rusticis coquant. — § 6. Sed an instrumenti instrumentum legato instrumento continetur, quæritur: hæc enim, quæ rusticorum causa parantur, lanificæ[21], et lanæ, et tonsores[22], et fullones, et focariæ[23], non agri sunt instrumentum, sed instrumenti? *Puto* igitur etiam focariam contineri: sed et lanificas, et cæteros, qui supra numerati sunt: et ita Servium respondisse auditores ejus referunt. — § 7. Uxores quoque et infantes eorum, qui supra enumerati sunt, credendum est in eadem villa agentes voluisse testatorem legato contineri: neque enim duram[24] separationem injunxisse credendus est. — § 8. Si aliqua parte anni in fundo pascantur pecora, aliqua parte his pabulum conducitur; vel servi, si aliqua parte anni per eos ager colitur, aliqua parte in mercedem mittuntur: nihilominus instrumento continentur. — § 9. *Cellararium* quoque ([id est], ideo præpositum, ut rationes salvæ sint), item ostiarium, mulionemque instrumenti esse constat. — § 10. Et molas[25], et machinas, fœnum, stipulas, asinum machinarium[26], machinam frumentariam, vas æneum, in quo sapa coqueretur, et defrutum fiat, et aqua ad bibendum lavandamque familiam paratur, instrumenti esse: et cribra, et plaustra, in quibus stercus evehatur. — § 11. Ea vero, quæ solo continentur, instrumenti fundi non esse Cassius scribit: veluti arundineta, et salicta, antequam cæsa sint: quia fundus fundi instrumentum esse non potest; sed si cæsa sint, puto contineri: quia quærendo fructui deserviunt. Idem et in palis erit dicendum. — § 12. Si in agro *venationes* sint, puto venatores quoque, et vestigatores, et canes, et cætera, quæ ad venationem sunt necessaria, instrumento contineri: maxime si ager [et] ex hoc reditum habuit. — § 13. Et si ab *aucupio* reditus fuit, aucupes, et plagæ, et hujus rei instrumentum agri instrumento continebitur: nec mirum: cum et aves[27] instrumento, exemplo apium[28], contineri Sabinus et Cassius putaverunt. — § 14. Si quis eodem instrumento in plurimis agris utatur, cujus agri sit instrumentum, quæritur? Et ego arbitror, si quidem apparet voluntas patrisfamiliæ, cui[29] potius agro destinaverat, ejus esse instrumentum: cæteri enim agri ab hoc agro veluti mutuantur; si non appareat, nullius instrumento cedet: neque enim pro parte dividemus instrumentum. — § 15. Supellex, cæteraque si qua in agro fuerunt, quo instructior esset paterfamilias, instrumento fundi non continentur. — § 16. Si domus sit instrumentum legatum, videndum quid contineatur? Et Pegasus ait, instrumentum domus id esse, quod tempestatis arcendæ aut incendii causa paratur; non quod voluptatis gratia: itaque neque specularia, neque vela quæ frigoris causa vel umbræ in domo sunt, deberi[30]. Quæ sententia Cassii fuit, qui dicebat, inter instrumentum et ornamentum multum interesse: instrumenti enim ea esse, quæ ad tutelam domus pertinent: ornamenti, quæ ad voluptatem; sicuti tabulas pictas. — § 17. Vela autem Cilicia[31] instrumenti esse[32], Cassius: quæ ideo parantur, ne ædificia vento vel pluvia laborent. — § 18. Acetum quoque quod extinguendi[33] incendii causa paratur: item centones, sifones, perticæ quoque et scalæ: et formiones, et spongias[34], et hamas[35], et scopas contineri, plerique et Pegasus aiunt.

§ 19. Tegulam autem, et tignum ejus rei causa paratum, instrumento contineri, si ad hujusmodi causam habeat tigna parata, ad alios usus non deservientia. Proinde et fulcimenta, si qua habebat huic rei necessaria, etiam ea instrumento domus continebuntur. — § 20. De velis, quæ in hypethris extenduntur, item de his quæ sunt circa columnas, Celsus scribit, magis supellectili adnumeranda: et ita Sabinum et Cassium putare. — § 21. Canales autem, et harpagones, et hamas[36], instrumento contineri constat. — § 22. Item perticæ, quibus araneæ detergantur: item spongiæ[37], quibus columnæ, pavimenta, podia extergantur: scalæ, quæ ad lacunaria admoveantur, instrumenti sunt: quia mundiorem domum reddunt. — § 23. Papinianus quoque lib. 7 Responsorum ait: Sigilla et statuæ adfixæ, *instrumento domus* non continentur, sed domus portio sunt[38]; quæ vero non sunt adfixa, instrumento non continentur, inquit: supellectili enim adnumerantur: excepto horologio æreo, quod non est adfixum, nam et hoc instrumento domus putat contineri: sicut prothyrum domus, si velamen est, (inquit) instrumento domus continetur. — § 24. Fistulæ autem et canales et crateres, et si qua sunt alia ad aquas salientes[39] necessaria: item serræ et claves[40], magis domus portio quam domus instrumentum sunt. — § 25. Specularia quoque adfixa, magis puto domus esse partem: nam et in emptione domus et specularia et pegmata cedere, sive in ædificio sunt posita, sive ad tempus detracta. Sed si non sint reposita, ad hoc tamen sint, ut suppleantur, si qua desint, instrumento potius continebuntur. — § 26. Cancellos[41] quoque instrumento contineri puto. — § 27. Sed si *fundus* non sit cum instrumento legatus, sed *ita ut instructus sit*: quæsitum est, an plus contineatur, quam si cum instrumento legatus esset? Et Sabinus [libris] ad Vitellium scribit, fatendum esse, plus esse, cum instructus fundus legetur, quam si cum instrumento: quam sententiam quotidie increscere et invalescere videmus. Quanto igitur hoc legatum uberius est, videndum est. Et Sabinus definit, et Cassius apud Vitellium notat, Omnia quæ eo collata sunt, ut instructior esset paterfamilias, instructo (inquit) continebuntur: id est, quæ ibi habuit, ut instructior esset. Hoc ergo legato non agri instrumentum, sed proprium suum instrumentum reliquisse videtur. — § 28. Proinde si *fundus* sit *instructus* legatus, et supellex continebitur, quæ illic fuit usus ipsius gratia; et vestis non solum stragula, sed et qua ibi uti solebat; mensæ quoque eboreæ[42], vel si quæ aliæ; item vitrea, et aurum, et argentum: vina[43] quoque, si qua ibi fuerint usus ipsius causa, continentur[44], et si quid aliud utensilium.

§ 29. Sed si qua eo congesserat[45] non usus sui causa, sed custodiæ

9. L. 12, § 11, in fin. infr. h. t. — 10. d. L. 12, § 1; L. 2, C. de verb. sign. — 11. d. L. 12, § 4. — 12. d. L. 12, § 15. — 13. L. 18, § 9, in fin. infr. h. t. — 14. d. L. 18, § 9. — 15. L. 19, in pr. infr. eod. — 16. L. 8, in fin. supr.; L. 15, § ult.; L. 17, in fin. infr. h. t.; L. 60, in fin. supr. de legat. 3. — 17. L. 15, in pr. infr. h. t. — 18. § 6, infr. h. l. — 19. d. § 6. — 20. d. § 6; L. 16, § ult. infr. eod. — 21. § 5. supr. h. l. — 22. d. § 5. — 23. d. § 5. — 24. *Fac.* L. 41, § 2, supr. de legat. 3; L. 8, supr. de pignorib.; L. 11, C. commun. utriusque judic. — 25. L. 26, in fin. infr. h. t. — 26. *Immo vide* L. 18, § 2, infr. eod. — 27. L. 11, supr. eod. — 28. L. 10, supr. eod. — 29. L. 4, supr. eod. — 30. *Vide tamen* § 20, infr. h. l. — 31. L. 17, § 4, supr. de act. empt. — 32. *Immo vide* § 16, supr. h. l. — 33. L. 3, § 5, infr. de penu legat. 1. — 34. § 22, infr. h. l. — 35. § 21, infr. h. l. — 36. § 18, supr. h. l. — 37. d. § 18, — 38. *Immo vide* L. 245, in pr. infr. de verb. sign. — 39. L. 15, supr. de act. empt. — 40. L. 17, in pr. supr. d. t. — 41. L. 41, § 10, supr. de legat. 1. — 42. § 43, infr. h. l. — 43. § 36, § 39, infr. h. l. — 44. *Immo vide* L. 15, § 1, infr. h. t. — 45. L. 1, C. de verb. sign.

gratia, non continebuntur; vina etiam, quæ in apothecis sunt, non cedent : et hoc jure utimur, ut quæ ibi paterfamilias quasi in horreo habuit, hæc non contineantur. — § 30. Celsus quoque lib. 19 Digestorum scribit, fructus ibi repositos, ut venirent [46], vel in alium usum, quam fundi, converterentur, instructo fundo non contineri. — § 31. Idem Celsus eodem libro ait, etiam supellecticarios, et cæteros hoc genus servos contineri ; id est, ministeria, quibus instructus erat in eo fundo, extra ea, quæ libertatem acceperunt : et qui rure morari solebant. — § 32. Si instructum fundum legasset, ea pædagogia, quæ ibi habebat, ut cum ibi venisset præsto essent in triclinio, legato continentur. — § 33. Contubernales [47] quoque servorum, id est, uxores, et natos, instructo fundo contineri verum est. — § 34. *Instructo* autem *fundo*, et bibliothecam, et libros qui illic erant, ut quotiens venisset uteretur, contineri constat : sed si quasi apotheca librorum utebatur, contra erit dicendum. — § 35. Neratius quoque lib. 4 Epistolarum Rufino respondit, *instructo fundo* et supellectilem, et vina, et mancipia non solum ad cultum custodiamve [48] villæ, sed etiam quæ ut ipsi patrifamilias in ministerio ibi essent, legato cedere. — § 36. Imagines quoque hæ solæ legatæ videntur, quæ in aliquo ornatu villæ fuerunt. — § 37. Papinianus quoque *prædiis instructis* legatis, mancipia non contineri, quæ temporis causa illic fuerunt, ac non eo animo transtulit paterfamilias, ut aut fundi, aut suum instrumentum faceret. — § 38. Idem respondit, *prædiis instructis* legatis, actorem ex his in provinciam missum, ut ordinatis negotiis ad pristinum actum rediret, legato prædiorum cedere, quamvis nondum redierit. — § 39. Idem respondit, *instructis hortis* legatis, etiam vina quæ ibi fuerunt, quo dominus esset instructior, contineri : aliud esse, si horrea ibi habuit, unde instruebatur vel in urbe, vel in aliis prædiis. — § 40. Idem respondit, *domo* per fideicommissum relicta *cum supellectili* Claudio Hieroniano, clarissimo viro ab Umbrio primo, et mensas, et cæteram supellectilem quam in hortis paterfamilias in proconsulatum profecturus contulerat, ut tutiore loco essent, contineri. — § 41. Idem respondit theriacam quoque, et cætera medicamenta quæ secessus causa dominus ibi habuit, et vestem propter secessum ibi depositam, instructo fundo legato, inesse. — § 42. Idem respondit, *domo, ita ut instructa est,* cum omni jure suo *legata* : urbanam familiam, item artifices quorum operæ cæteris quoque prædiis exhibebantur, legato non contineri : ostiarii autem (inquit) vel topiarii, diætarii, aquarii, domui tantum deservientes, continebuntur : sed quod de artificibus ait, falsum est, si ejus domus causa parati sunt ; licet aliis quoque prædiis commodabantur.

§ 43. Idem respondit, *domo instructa* legata, mensas eboreas [49], et libros non contineri : sed [et] hoc falsum est ; nam omne, quidquid in domo fuit, quo instructior ibi esset paterfamilias, continebitur : supellectilem [50] autem patrisfamiliæ instrumentum esse, nemo dubitat. Denique Neratius lib. 4 Epistolarum Marcello fratri suo respondit, et vestem domus instructæ legato contineri, maxime, inquit, in proposita specie : proponebatur enim, qui legaverat, argentum et rationes excepisse : nam qui hæc (inquit) excepit [51], non potest non videri de cæteris rebus, quæ in ea essent, sensisse. Sed et ipse Papinianus eodem libro Responsorum ait, patrem mercatorem ac fœneratorem, qui duos filios totidemque filias heredes instituerat, ita legasse, *filiis maribus domum meam instructam do lego, darique jubeo* : merces et pignora an contineantur, quæri posse : sed facilem judici voluntatis conjecturam fore, cæteris patris facultatibus examinatis. — § 44. Celsus scribit, *servis qui in fundo morarentur* legatis, vicarios eorum non contineri : nisi appareat, et de vicariis eum sensisse. — § 45. Papinianus quoque lib. 7 Responsorum, uxori, cui vir *omnia quæ in domo erant*, ab herede filia præstari voluit, cautiones [52] debitorum emptionesque servorum non videri legatas, respondit : nisi (inquit) ex alia parte, et de servis eum cogitasse, apparuerit : scilicet ut eorum servorum ei legasse videatur emptiones, quos et ipsos voluit ad eam pertinere. — § 46. Si quis *fundum ita ut instructus est*, legaverit, et adjecerit *cum supellectili, vel mancipiis, vel una aliqua re,* quæ nominatim expressa non erat : utrum minuit legatum adjiciendo speciem, an vero non, quæritur? Et Papinianus respondit, non [53] videri minutum : sed potius ex abundanti adjectum. — § 47. Idem Papinianus lib. 7 Responsorum ait, *instructis hortis* filio legatis, mater argentum muliebre filiæ legaverat : respondit, etiam id argentum muliebre, quod in hortis habuit, ut ibi esset instructior, ad filiam pertinere.

13. PAULUS, lib. 4, ad Sabinum.

Tabernæ cauponiæ [54] instrumento legato, etiam institores contineri, Neratius existimat ; sed videndum, ne inter instrumentum tabernæ cauponiæ, et instrumentum cauponæ sit discrimen : ut tabernæ non nisi loci instrumenta sint, ut dolia, vasa, ancones, calices, trullæ, quæ circa cœnam solent trajici, item urnæ æreæ, et congiaria, sextaria, et similia : cauponæ autem, cum negotiationis nomen sit, etiam institores [55]. — § 1. Instrumento balneario legato, etiam balneatorem [56] contineri, Neratius respondit.

14. *Idem*, lib. 2, ad Vitellium.

Continetur autem et fornicator.

15. POMPONIUS, [lib. 6, ad Sabinum].

Si ita testamento scriptum sit, *quæ tabernarum exercendarum, instruendarum, pistrini, cauponæ causa facta parataque sunt, do lego* : his verbis Servius respondit, et caballos, qui in pistrinis essent, et pistores, [et] in cauponio institores [57], et focariam, mercesque, quæ in his tabernis essent, legatas videri. — § 1. Domo instructa : responsum est, supellectilem legatam, non [58] etiam vina : quia domus vinis instructa intelligi non potest. — § 2. Mulier villæ custos [59] perpetua fundo, qui cum instrumento legatus esset, aut instructo continebitur, sicuti saltuarius : par enim ratio est ; nam desiderant tam villæ, quam agri custodiam : illic, ne quid vicini aut agri aut fructuum occupent ; hic, ne quid cæterarum rerum, quæ in villa continentur. Villa autem sine ulla dubitatione pars fundi habetur.

16. ALFENUS, lib. 2 Digestorum a Paulo epitomatorum.

Villæ instrumento legato, supellectilem non [60] contineri verius est. — § 1. Vinea et instrumento ejus legato, instrumentum vineæ nihil esse, Servius respondit ; qui eum consulebat, Cornelium respondisse aiebat, palos, perticas, rastros, ligones instrumenti vineæ esse : quod verius est. — § 2. Quidam uxori fundum, uti instructus esset, in quo ipse habitabat, legavit ; consultus de mulieribus lanificis [61] an in instrumento continerentur : respondit, non quidem esse instrumenti fundi : sed quoniam ipse paterfamilias, qui legasset, in eo fundo habitasset, dubitari non oportere, quin et ancillæ, et cæteræ res, quibus paterfamilias in eo fundo esset instructus, omnes legatæ viderentur.

17. MARCIANUS, lib. 7 Institutionum.

Item *pictoris* instrumento legato, *ceræ*, colores similiaque horum legato cedunt : item peniculi et *cauteria*, et conchæ. — § 1. Instrumento *piscatorio* contineri Aristo ait naucellas, quæ piscium capiendorum causa comparatæ sunt : sed et piscatores contineri, verius est. — § 2. Instrumento *balneatorio* legato, dictum est, balneatorem [62] sic instrumento contineri balneario, quomodo instrumento fundi saltuarium [63], et topiarios [64], et instrumento cauponio institorem [65] : cum balneæ sine balneatoribus usum suum præbere non possint.

18. PAULUS, lib. 2, ad Vitellium.

Cum de *lanionis* instrumento quæritur : semota carne, mensas, pondera ferramentaque laniandæ carnis causa præparata ; item trutinas, cultros, dolabras instrumento relinquimus. — § 1. Instrumento legato, aliquando etiam personas legantium necesse est inspici : ut ecce, pistorio instrumento legato, ita ipsi pistores inesse videri possunt, si paterfamilias pistrinum exercuit : nam plurimum interest, instrumentum pistoribus an pistrino paratum sit. — § 2. Asinam molendariam et molam negat Neratius instrumento fundi contineri [66]. — § 3. Item caccabos et patinas [in] instrumento fundi esse dicimus ; quia sine his pulmentarium coqui non potest. Nec multum refert inter caccabos et aenum quod supra focum pendet : hic aqua ad potandum calefit : in illis, pulmentarium coquitur. Quod si aenum instrumento continetur, urcei quoque, quibus aqua in aenum infunditur, in idem genus rediguntur : ac deinceps in infinitum primis quibusque proxima copulata procedunt ; optimum ergo esse Pedius ait, non propriam [67] verborum significationem scrutari : sed in primis, quid testator demonstrare voluerit : deinde in qua præsumptione sunt, qui in quaque regione [68] commorantur. — § 4. Cum de villico quæreretur, [et] an instrumento inesset, et dubitaretur? Scævola consultus respondit, si non pensionis certa quantitate, sed fide dominica [69] coleretur, deberi. — § 5. Idem consultus de meta molendaria : respondit, si rusticis ejus fundi operariis moleretur, eam quoque deberi ; est autem meta, inferior pars molæ ; catillus, superior. — § 6. De bubulco quoque ita respondit : sive de eo qui bubus ibi araret, sive de eo qui boves ejus fundi aratores pasceret, quæreretur, deberi. — § 7. De putatoribus quoque [ita] respondit, si ejus fundi causa haberentur, inesse. — § 8. Pastores quoque, et fossores ad legatarium pertinere. — § 9. Item, cum fundus ita legatus esset, *Mævio fundum Seianum, ita ut optimus maximusque est, cum omni instrumento rustico et urbano, et mancipiis, quæ ibi sunt* ; et quæreretur, an semina [70] deberentur? Respondit, verius esse deberi : nisi aliud testatorem sensisse, heres probaret. Idem respondit de frumento reposito [71] ad mancipiorum exhibitionem. — § 10. In instrumento medici esse collyria [72], et emplastra, et cætera ejus generis, Cassius scribit. — § 11. Cui fundum instructum legaverat, nominatim mancipia legavit : quæsitum est, an reliqua mancipia, quæ non nominasset, instrumento cederent? Cassius ait, responsum esse, tametsi mancipia instructi fundi sint, tamen videri eos solos legatos esse, qui nominati essent : quod appareret non intellexisse patremfamilias, instrumento quoque servos adnumeratos [esse]. — § 12. Sabinus : Cui fundus, quæque ibi sunt, legata sunt, ei fundus, et omnia quæ in eo solita sunt esse, quæque ibi majore parte anni morari, et hi qui in eum manendi causa recipere se consueverunt, legati videntur : at si qua consulto [73] in fundo congesta contractave sunt, quo legatum cumularetur, ea non videntur legata esse. — § 13. Quidam cum ita legasset, *Villam meam, ita ut ipse possedi, cum supellectile, mensis, mancipiis, quæ ibi deputabuntur, urbanis et rusticis, vinis, quæ in diem mortis meæ ibi erunt, et decem aureis* : et quæreretur, cum in diem mortis ibi libros, et vitreamina, et vesticulam habuerit, an eadem omnia legato cederent, quoniam quædam enumerasset : Scævola respondit, specialiter expressa [quæ] legato cederent. — § 14. Domum instructam legavit cum omnibus adfixis : quæritur de instrumentis debitorum, an ea legatarius habere potest? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, non posse.

19. PAULUS, lib. 13 Responsorum.

Si mancipia [74], quæ post testamentum factum in fundum Seiæ relictum a testatore inducta fundi colendi gratia, in eodem fundo fuerint : ea quoque instrumento fundi contineri respondi : quamvis enim ea mancipia testator demonstrasset, quæ tunc ibi essent, cum legaret, tamen non minuendi legati, sed augendi causa, mancipiorum quoque fecit mentionem : cæterum instrumento fundi mancipia quoque colendi agri causa inducta contineri, non ambigitur. — § 1. Paulus respondit, villæ instrumento neque fructus repositos, neque equitium contineri : supellectile autem legato cedere [75] : servum vero arte fabrica peritum, qui annuam mercedem præstabat, instrumento villæ non contineri.

20. SCÆVOLA, [lib. 3 Responsorum].

Seiæ ex parte heredi institutæ, si heres erit, fundos per præceptionem dederat instructos cum suis villicis, et reliquis colonorum : et codicillis ita scripsit, *Postea mihi venit in mentem, Seiæ fundos, quos reliqui, ita ut sunt instructi rustico instrumento, supellectile, pecore, et villicis, cum reliquis colonorum et apotheca, habere volo.* Quæsitum est, an etiam ea, quæ patrisfamilias usus quotidiani causa in fundis fuerunt, legato continerentur? Respondit, testamento quidem (ut proponeretur) Seiæ insuper fundum legatum : verum non amplius deberi, quam in codicillis, quos sane post oblivionem testamentariæ scripturæ fecisset, instructi appellatione contineri velle se manifeste ostendisset. — § 1. Liberto suo quidam prædia legavit his verbis : *Seio liberto meo fundos illum et illum do lego, ita ut instructi sunt, cum dotibus, et reliquis colonorum, et saltuariis, cum contubernalibus suis, et filiis, et filiabus.* Quæsitum est, an Stichus servus, qui prædium unum ex his coluit, et reliquatus est amplam summam, ex causa fideicommissi Seio debeatur? Respondit, si non *fide dominica* [76], sed mercede, ut extranei coloni solent, fundum coluisset, non deberi. — § 2. *Gaio Seio alumno meo fundos meos illum et illum, ita ut instructi sunt, et domum superiorem dari volo.* Quæsitum est, an etiam domum instructam dari voluerit? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, ita videri dedisse, nisi is, a quo peteretur, aliud testatorem sensisse manifeste doceret : at si habitationis, id est, ædificii instrumentum legasset, non cedere servos operæ aliive rei paratos. — § 3. Prædia, ut instructa sunt, cum dotibus, et reliquis colonorum et villicorum, et mancipiis, et pecore omni legavit, et peculiis, et cum actore. Quæsitum est, an reliqua colonorum, qui finita conductione, interposita cautione, de colonia discesserant, ex verbis suprascriptis legato cedant? Respondit, non videri de his reliquis esse cogitatum. — § 4. Idem quæsiit in actore legato, an uxor et filia legato cedant : cum actor non in prædiis, sed in civitate moratus sit? Respondit, nihil proponi, cur cedant. — § 5. Idem quæsiit, cum testator, facto testamento, in provinciam sit profectus : an ea mancipia, quæ post profectionem ejus, aut mortem, sine cujusquam auctoritate sponte sua ad parentes et notos sibi homines in fundos legatos transiere, legato cedant? Respondit, non legatos eos, qui forte veluti commeantes transissent. — § 6. *Pamphilæ libertæ meæ dari volo fundum Titianum, cum instrumento, et his quæ in eodem erunt, cum moriar.* Quæsitum est [77], si Stichus servus ex eo fundo ante annum mortis testatoris abductus, et in disciplinam traditus, postea in eum fundum non reversus [78] sit, an debeatur? Respondit, si studendi causa misisset, non quo a fundo eum aliorsum transferat, deberi. — § 7. *Tyrannæ sorori meæ fundum meum Græcianum, cum stabulo, et instrumento rustico omni relinquo.* Quæritur, an fundi appellatione etiam pascua quæ ad eum simul cum fundo pervenerint, et quæ semper in usibus hujus possessionis habuerat, legato cederent? Respondit, si prata fundo Græciano ita conjunxisset, uti sub una fundi appellatione haberentur, ea quoque deberi. — § 8. Instructis domibus legatis, crabattus argento inaurato tectus, mortis Titiæ tempore in domibus non est repertus, sed in horreis tantisper conditus. Quæro, an is quoque præstandus sit? Respondit, si in domo esse soleret, et quo tutiore loco haberetur, interim in horreo allatus esset, nihilominus præstandum. — § 9. Quod adjecit testator, *uti* [79] *possedi*, an hoc significet sicut instructa in diem mortis habuit, id est, cum mancipiis, pecoribus, instrumento rustico? Respondit, non de jure quæritur.

21. POMPONIUS, lib. 1 Fideicommissorum.

Cum fundus sine instrumento legatus sit : dolia [80], molæ olivariæ, et prælum, et quæcunque infixa inædificataque sunt, fundo legato continentur ; nulla autem ex his rebus, quæ moveri possunt, paucis exceptis, fundi appellatione continentur. De molis tum quæri solet, cum ita adfixæ itave inædificatæ sint, ut partes ædificiorum esse videantur.

22. PAULUS, lib. 3 Sententiarum.

Fundo legato, *ut* [81] *optimus maximusque est,* retia apraria, et cætera venationis instrumenta continebuntur : [quod etiam] ad instrumenta pertinet, si quæstus [82] fundi ex maxima parte in venationibus consistat. — § 1. Fundo legato *cum mancipiis, et pecoribus, et omni instrumento rustico et urbano* : peculium actoris ante testatorem defuncti, si ex eodem fundo fuerit, magis placet ad legatarium pertinere.

23. NERATIUS, lib. 2 Responsorum.

Cum quæratur, quod sit *tabernæ* instrumentum : interesse, quod genus negotiationis in ea exerceri solitum sit.

24. PAULUS, [lib. 3, ad Neratium.]

Fundus qui locatus erat, legatus est cum instrumento : instrumentum, quod colonus in eo habuit, legato cedit. Paulus : an quod coloni fuit, an tantum id, quod testatoris fuit? Et hoc magis dicendum est : nisi nullum domini fuit.

25. JAVOLENUS, lib. 2, ex Posterioribus Labeonis.

Fundi instrumento legato, id pecus cedere putabat Tubero, quod is fundus sustinere potuisset. Labeo contra : Quid enim fiet (inquit), si cum mille oves fundus sustinere potuisset, duo millia ovium in eo fundo fuerint? quas oves potissimum legato cessuras existimabimus? nec quærendum esse, quid debuisset parari pecoris, instrumenti fundi causa, sed [83] quid paratum esset : non enim ex numero aut multitudine legata æstimandum esse. Labeonis sententiam probo. — § 1. Quidam, cum in fundo figlinas haberet, figulorum opera, majore parte anni, ad opus rusticum utebatur ; deinde ejus fundi instrumentum legaverat. Labeo, Trebatius, non videri figulos in instrumento fundi esse. — § 2. Item cum instrumentum omne legatum esset, excepto pecore : pastores oviliones, ovilia quoque legato contineri, Ofilius non recte putat.

26. *Idem*, lib. 5, ex Posterioribus Labeonis.

Dolia [84] fictilia, item plumbea, quibus terra adgesta est, et in his viridiaria posita, ædium esse Labeo, Trebatius, putant : ita id verum puto, si ita illigata sint ædibus, ut ibi perpetuo posita sint. — § 1. Molas manuarias quidem supellectilis, jumentarias autem instrumenti esse, Ofilius ait. Labeo, Cascellius, Trebatius neutras supellectilis, sed [85] potius instrumenti putant esse : quod verum puto.

27. SCÆVOLA, lib. 6 Digestorum.

Prædia maritima cum servis qui ibi erunt, et omni instrumento, et fructibus qui ibi erunt, et reliquis colonorum, nutritori suo legavit. Quæsitum est, an servi piscatores qui solebant in ministerio testatoris

46. d. L. 1. — 47. § 7, supr. h. t. — 48. § 4, supr. hic. ; L. 15, § ult. infr. h. t. — 49. § 28, supr. h. t. — 50. L. 1, infr. de supel. legat. — 51. *Fac.* L. 65, in fin. infr. de condit. et demonstr. — 52. L. 92, in fin. pr. supr. de legat. 3. — 53. L. 9, in pr. infr. de supell. legat. — 54. L. 15, in pr. ; L. 17, in fin. ; L. 23, infr. h. t. — 55. d. L. 15, in pr. ; d. L. 17, in fin. — 56. d. L. 17 § ult. — 57. L. 13, in fin. supr. eod. — 58. *Obs.* L. 12, § 28, supr. eod. — 59. d. L. 12, § 4, § 35. — 60. *Obst.* L. 19, § 1, infr. eod. — 61. L. 12, § 5, supr. eod. — 62. L. 13, in fin. supr. eod. — 63. L. 12, § 4, supr. eod. — 64. L. 8, § 1, supr. eod. — 65. L. 13, in fin. pr. supr. eod. — 66. *Immo vide* L. 12, § 10, supr. ; L. 26, § 1, infr. eod. — 67. L. 69, in fin. supr. de legat. 3. — 68. L. 50, in fin. supr. de legat. 1. — 69. L. 20, § 1, infr. h. t.

70. L. 12 in pr. supr. eod. — 71. d. L. 12, in pr. — 72. § 25, Inst. de rer. divis. — 73. L. 32, § 3, supr. de legat. 2 ; L. 39, in fin. infr. de auro. — 74. L. 12, § 2, supr. h. t. — 75. *Obst.* L. 16, in pr. supr. eod. — 76. L. 18, § 4, supr. eod. — 77. L. 78, in pr. supr. de legat. 3. — 78. *Adde* L. 12, § 38, supr. h. t. — 79. L. 91, § 1, supr. de legat. 3. — 80. L. 26 in pr. infr. h. t. — 81. L. 69, § 3, supr. de legat. 1 ; L. 93, § 4, supr. de legat. 3. — 82 L. 26, supr. de usur. — 83. L. 60, § 2, supr. de legat. 3. — 84. L. 21, supr. h. t. — 85. *Obst.* L. 18, § 2, s pr. eod.